

4. Tertia species unionis ea est quæ fieri dicitur *plenissimo jure* et tituli sæcularis quodammodo extinctiva, quæque locum habet cum non solum titulus parochiæ transfertur in monasterium regularium, sed ipse populus eximitur a jurisdictione Episcopi, et subijcitur prorsus monasterio. Per hanc unionem constituitur territorium separatum, et Ecclesia nullius. In hac parœcia unita monasterio nihil potest Episcopus sed parochus tum quoad institutionem, tum quoad correctionem et visitationem, tum quoad remotionem pendet a Superiore seu Abbate regulari Monasterii. De his parœciis unitis Monasteriis loquitur Tridentinum in 2<sup>a</sup> parte decreti c. 11. sess. 25. *De Regul.*

5. Si quærat in dubio quænam præsumatur facta unio, respondemus præsumi eam qui minus derogat juribus Episcopi, qui fundatam habet intentionem in jure pro libertate exercitii regiminis spiritualis in sua diœcesi.

#### TITULUS XXXVIII.

### De jure patronatus.

1. Vocabulo *patroni* latini scriptores usitantur ad significandum defensorem vel provinciæ, vel civitatis, vel particularis causæ. Scriptores vero ecclesiastici præsertim post sæc. XII. patronos appellarunt fundatores Ecclesiarum aut beneficiorum et eos, qui ab ipsis causam habuerunt. Ex officio defensionis eosdem appellarunt advocatos, quamvis stricto sensu distinguerent advocatos et patronos ita ut patronus ille esset qui in omnia jura concessa fundatori succederet, advocatus vero qui succederet in officium defensionis ecclesiæ vel beneficii. Ita arg. c. 9. h. t.

2. Inspecta historia patronatus, inspectoque jure cuique patrono communi, jus patronatus definitur 'Jus seu potestas nominandi, vel præsentandi superiori ecclesiastico clericum promovendum ad beneficium vacans, competens fidelibus ob foundationem, ædificationem et dotationem Ecclesiæ'. Ex definitione duplex eruitur patronatus qualitas 1<sup>o</sup>. ut consideretur ceu vinculum juris a pluribus æquiparatum servituti, quo limitatur et circumscribitur potestas Episcopi in collatione Ecclesiæ vel præbendæ vacantis. Hinc clericus si fuerit idoneus, promovendus est ad beneficium vacans. Quare actus institutionis quo superior beneficium clerico præsentato confert non liberalitatis sed necessitatis actus dicitur. Secunda

qualitas est ut nempe patronatus sit jus spirituale; nam ordinatur ad collationem beneficii et personam legitime designat, quæ ex institutione Superioris officium, et stationem sacram occupet et exerceat. Hinc ex tit. *De simonia* scimus patronatum non posse nec vendi, nec emi, quin incidatur in simoniam. Porro quisque noscit simoniacam labem contrahi quoties vendatur, aut pretio comparetur, vel quod gratiæ Dei donum est, vel quod ecclesiastica constitutione sacrum est. Nonnisi ergo ex privilegio et concessione Ecclesiæ in laicis residere potuisset patronatus.

3. Definitio proposita deducta est ex principali jure quod patronis competit. At ut conceptus juris patronatus plenius tradatur ab aliis doctoribus sequens proponitur juris patronatus definitio. Videlicet 'Jus quoddam singulare certis in honoribus commodisque consistens, cui etiam certa onera coherent, concessum iis qui beneficia vel Ecclesias fundarunt, ædificarunt, et dotarunt vel etiam iis qui ab iisdem causam habent'.

4. De variis speciebus juris patronatus.

Jus patronatus directe et proprie consistit in jure præsentandi clericum; at factum est ex usu Ecclesiæ ut institutor beneficii posset etiam designare genus personarum, vel ex aliqua familia, vel ex certa gente aut loco quæ personæ si essent idoneæ deberent a patrono necessario præsentari Episcopo ad assequendum beneficium. Hoc jus ut quis præsentari debeat, appellarunt DD. passivum patronatum, dum patronatum proprie dictum seu jus præsentandi appellarunt patronatum activum. Hinc prima divisio est in jus patronatus passivum et activum. Porro jus patronatus proprie dictum idest activum varias habet divisiones. 1<sup>a</sup> Divisio est ut aliud sit ecclesiasticum, aliud laicale, aliud mixtum.

5. Ecclesiasticum est illud per quod provisum est Ecclesiæ, vel dignitati ecclesiasticæ non vero personæ. Scilicet est illud quod adnexum est alicui Ecclesiæ, vel præbendæ, vel officio sacro ita, ut jus habeat præsentandi ad beneficium patronatum clericus qui ad Ecclesiam illam pertineat, vel habeat præbendam aut officium. Quare jus nominandi procedit ex titulo ecclesiastico. Laicale illud est quod patrono competit ex titulo civili, ex gr. ex successione in aliqua familia. Nec officit si accidentaliter exerceatur ab aliquo clerico. Nam si ex titulo laicali clericus acquisivit jus præsentandi jus patronatus non desinit esse laicale.

6. Mixtum jus patronatus est quod simul competit ex titulo ecclesiastico et ex titulo laicali ex. gr. si ad aliquod beneficium jus habeat nominandi Parochus alicujus Ecclesiæ, et individua alicujus familiæ.

De qualitate hujus patronatus est ut in particularibus casibus sequatur regulam vel patronatus laicalis vel ecclesiastici, prout magis uni quam alteri faveat jus. Excipitur casus quo ex conventionem alternative præsentet clericus et laicus.

Jus patronatus competens universitatibus laicalibus laicale est, et etiam laicale est quod competit confraternitatibus seu sodalitiis laicorum. Nam quamvis opus pium compleatur a confratribus, tamen hoc opus a laicis personis perficitur, nec sodalitiis haberi potest ceu capitulum, et congregatio ecclesiasticarum personarum.

7. 2º. Jus patronatus dividitur in personale et reale. Personale est quod in rem non concipitur, sed vel certæ personæ, vel certo personarum generi conceditur ex. gr. filiis et descendentes filii in infinitum. Reale illud est quod alicui competit intuitu certæ rei vel certi juris realis, ita ut semper transeat in quemcumque possessorem ejusdem rei vel juris ex. gr. si adnexum sit castro, villæ aut fundo vel officio alicui.

8. 3º. Dividitur in hæreditarium, familiare, gentilitium et mixtum. Hæreditarium est quod relinquitur hæredibus sive testatis, sive intestatis. Hinc si filius se abstineat a paterna hæreditate, vel extraneus hæres hæreditatem repudiet, eo ipso amittunt jus patronatus. Si unus vel alter repudiaverit hæreditatem jus patronatus accrescit aliis hæredibus adeuntibus hæreditatem. Repudiantibus omnibus hæreditas dicitur jacens. Ex beneficio prætorio seu a judice datur hæreditati jacenti curator. Curator datus exercet jus patronatus. Non idem vero dicendum de executoribus testamentariis; nam cum adsit hæres testamentarius hic erit patronus. Filius cui relicta sit portio legitima, cum honoretur post Justinianum titulo hæredis, consequitur cum aliis hæredibus jus patronatus hæreditarium. Non ita vero hæres in re certa quia comparatur legatario. Exceptio duplex est 1º. si jus patronatus sit reale, et adnexum fundo illi hæredi relicto; 2º. si aliis hæredibus repudiantibus hæreditatem hic totum assem hæreditarium assequatur.

9. Jus patronatus familiare ab aliquibus confunditur cum gentilitio et dicitur esse illud in quod succedunt, qui sunt de familia

fundatoris, vel alterius familiæ cui sit relictum. Verum pragmatici distinguunt familiam in extensivam, et contentivam. Extensivam dicunt eam, quæ ab institutore genita est, et ab eo veluti a communi stipite, vel proxime vel remote descendit, seu quasi extenditur. Contentivam appellant eam, quæ non solum institutoris filios et nepotes, sed etiam collaterales ejus complectitur. Quapropter familiare proprie dicitur jus patronatus quod comprehendit familiam quæ a fundatore vel a primo patrono instituto descendit. Gentilitium erit si comprehendet etiam familiam contentivam, seu collaterales idest gentem institutoris patronatus, vel personæ cui relictum est jus patronatus. Quare erit familiare jus patronatus si institutor dicat: relinquo jus patronatus omnibus masculis descendentes ex masculis meis vel filii. Erit vero gentilitium si dicat: jus nominandi habeant omnes de mea domo et eorum successores. In hoc utroque jure patronatus non attenditur hæreditas sed solummodo vinculum sanguinis.

10. Porro jus patronatus familiare et gentilitium regulariter comprehendit solos masculos succedentes ex masculis. At aliquando concipitur ita ut comprehendat quoscumque successores, quare etiam a feminis acquiritur. Quo in casu descendente vel lineale dici potest jus patronatus eo quod omnes lineas etiam cognatorum comprehendat. Aliquando concipitur ita ut complectatur solos agnatos scilicet masculos descendentes ex masculis, et feminas immediate per masculos institutori conjunctas. Quo in casu agnaticum dicitur jus patronatus. Quid si in hoc jure patronatus deficiat linea masculina? Pragmatici dicunt admitti in subsidium masculos feminarum. Nam institutor licet prædilexerit masculos de masculis, tamen non abhorruit a masculis de feminis sibi vinculo sanguinis conjunctis. Hoc vero ex præsumptione: hinc si contrarium voluisse institutorem pateat, excluduntur. Ex. gr. si dixerit beneficium, deficiente linea designata, fore liberæ collationis, vel si ultimo de agnatis dederit substitutum.

11. Mixtum jus patronatus participat simul de hæreditario, et de familiari: illud scilicet est ad quod obtinendum requiritur simul qualitas successionis sanguinis et successionis hæreditatis. Ex. gr. si testator dicat: relinquo jus patronatus Titio et ejus hæredibus et successoribus. Animadvertendum denique est jus patronatus familiare gentilitium et mixtum, etiam si fuerit relictum sub forma primogeniali in ultimo gradu lineæ contemplatæ transire

in hæreditarium, et proinde ultimum possessorem posse de eo disponere per actum ultimæ voluntatis nisi contraria appareat voluntas institutoris, qui scilicet vel noluerit in casu extinctionis lineæ liberam fore Ecclesiam vel substitutum dederit.

#### De modis, quibus acquiritur jus patronatus.

12. Considerari possunt modi quibus primum constituitur et existere incipit jus patronatus qui appellari possunt modi *originarii* et modi quibus in alios transfertur jus patronatus jam existens quique possunt dici *derivati*.

13. Modi originarii ad acquirendum jus patronatus alii dici possunt ordinarii alii autem extraordinarii. Modos originarios simulque ordinarios qui nempe ex institutione patronatus derivant exhibet versiculus 'Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus'. Hinc triplex est titulus primarius juris patronatus nempe fundatio, ædificatio seu constructio et dotatio Ecclesiæ. Ecclesiam fundasse dicitur qui fundum seu aream, aut terræ spatium concedit ut ibi ædificetur Ecclesia. Aedificasse ecclesiam dicitur qui ex consensu Ordinarii propriis sumptibus eam construxit. *Arg. 33. c. 16. q. 7. et cap. 25. h. t.* Qui vero absque Ordinarii consensu Ecclesiam construxit cum illicite egerit *arg. c. 9. De Censur. dist. 1.* non acquirit jus patronatus.

14. Quid vero dicendum de eo, qui restituit Ecclesiam collapsam vel collabentem? Pro acquisitione juris patronatus ædificanti æquiparatur qui penitus destructam Ecclesiam iterum ex Episcopi consensu excitat, quamvis utatur præexistentibus lapidibus et cæmentis *arg. c. 7. De jud.* Non vero jus patronatus acquirit qui in aliqua parte collabentem restituit quamvis diversis et successivis temporibus per partes totam renovaverit Ecclesiam. — Dotasse Ecclesiam dicitur qui sufficientes redditus tum pro decente ornatu Ecclesiæ tum pro sustentandis ministris adsignavit *can. 31. c. 16. q. 7.*

15. Adnotandum vero est, acquiri jus patronatus non solum ex tribus hisce titulis in eadem persona simul concurrentibus, sed acquiri etiam si in tribus personis concurrant. Hoc in casu tres erunt patroni quisque ex proprio titulo. Hinc unus esse poterit patronus fundatione, alius ædificatione, tertius dotatione. Ratio est quia canones distincte unumquemque titulum exhibent ut sufficientem ad obtinendum jus patronatus. Nec officit locutio Triden-

tini in *c. 12. sess. 14. De Ref.* 'Nemo nisi Ecclesiam, beneficium aut Capellam fundaverit et construxerit etc. . . . jus patronatus obtinere poterit'. Nam particula copulativa habet sensum disjunctivum juxta communem sententiam.

At non sufficit unus titulus ad acquirendum jus patronatus si reliqui tituli neque in aliena persona concurrant. Sic ex. gr. ædificator non fit patronus nisi adsit alius qui dotet Ecclesiam.

16. Originarii tituli tamen extraordinarii sunt privilegium et præscriptio. Relate ad privilegium non sufficit concessio Episcopi; nam argumento *cap. 9. sess. 25. De Ref.* abrogata in genere censentur jura patronatus concessa ex privilegiis. Hinc solus Rom. Pontifex potest ob plenitudinem potestatis conferre jus patronatus titulo privilegii.

17. Etiam præscriptio esse potest titulus acquisitionis juris patronatus, et est quidem originarius, si præscribatur jus contra Ecclesiam liberam, erit derivatus si contra existentem patronum fiat præscriptio. De prima specie præscriptionis agit Tridentinum in *c. 9. sess. 25. De Ref.* et distinguit inter personas privatas et potentes. Pro civibus et personis privatis in genere, ut acquirant jus patronatus contra Ecclesiam liberam requirit tempus immemoriale, et frequentiam actuum præsentationis. Doctores tenent sufficere binas præsentationes continuas. Pro potentioribus personis a quibus nempe solet plerumque jus patronatus acquiri ex usurpatione, præter alia ad immemorabilem præscriptionem probandam requirit Tridentinum ut saltem ostendatur authenticis scripturis per quinquaginta annos locum habuisse et cum effectu continuas præsentationes. Nomine potentium personarum veniunt principes, imperantes, barones, duces locorum et etiam communitates et universitates. Quoniam ad præscribendum jus patronatus contra Ecclesiam liberam requiritur præscriptio immemorialis hinc non desunt qui dicant præscriptionem non constituere modum originarium acquirendi jus patronatus. Nam immemorialis præscriptio præsumere facit titulum. Unde præscriptio in casu est indicativa tituli originarii.

18. Si sermo sit de præscriptione juris patronatus contra præ-existentm patronum in Ecclesia non libera, præscriptio regitur juxta normam aliorum jurium in re existentium. Hinc contra privatam personam cum titulo colorato præscriptio inducitur per decennium inter præsentem, per spatium viginti annorum inter ab-

sentes. Si autem probari non potest titulus coloratus requiruntur 30 anni. Quod si patronatus possideatur a Monasterio, Ecclesia, vel aliis locis piis, ad hoc jus præscribendum requiritur quadragenaria præscriptio.

19. Modi derivati translationis et acquisitionis juris patronatus sunt 1º. successio hæreditaria, 2º. alienatio. Successione hæreditaria cum universitate bonorum in hæredes sive ex testamento sive ab intestato transit jus patronatus, quod fuit proprium defuncti, nec eo mortuo ministerio juris in alium transire debebat *c. 1. c. 7. h. t.* et *Clem. 2. eod.* Si plures sint hæredes licet pro inæqualibus partibus, succedunt omnes in jus patronatus defuncti quod in solidum possident; arg. *c. 1. h. t.* et Gloss. ibi. Scilicet vel alternis vicibus nominant vel si simul nominant ille præsentatus censebitur, qui majorem numerum vocum patronorum obtinuerit.

20. Animadvertendum vero est aliquando successionem fieri in capita aliquando in stirpes. In capita successio verificatur cum plures jure proprio eidem personæ succedunt, quæ habuerat jus patronatus. In hac specie singula hæredum suffragia idem valent, ita ut qui plura retulerit suffragia censeatur nominatus. In stirpes vero successio perficitur 1º. cum duabus personis habentibus jus patronatus in solidum succedant distincti hæredes; 2º. cum patri habenti jus patronatus succedant filii, et nepotes ex filio præmortuo. Cum successio fiat in stirpes est locus juri repræsentationis, seu non computantur voces juxta numerum individuorum sed in relatione ad auctorem quem repræsentant. Hinc ex. gr. si ad patris hæreditatem duo filii admittantur, et tres nepotes ex filio præmortuo suffragia seu voces nepotum pro una voce computantur, seu pro ea quam habuisset eorum genitor si vixisset. Hoc principium distincte traditur in *Clem. 2. h. t.* ubi dicitur: 'Plures ab uno ex patronis Ecclesiæ relictæ hæredes, vocem dumtaxat unius habebunt in præsentatione rectoris'.

21. Alienatio juris patronatus tribus modis perficitur 1º. donatione, 2º. permutatione, 3º. venditione.

Jus patronatus personale et hæreditarium potest donari. Dixi hæreditarium: nam familiare, et gentilitium donari non possunt. In utroque enim donatio cederet in præjudicium futurorum vocatorum, qui suo tempore succedunt, et veniunt nomine proprio. At ex *c. un. h. t. in 6º.* si donetur Monasterio, Ecclesiæ vel in genere loco pio non requiritur consensus Episcopi, ex sensu autem

contrario hic consensus requiritur, si fiat donatio in favorem privatae personæ licet sit clericus. Excipiunt DD. donationem factam ab uno patrono reliquis compatronis. Nam arg. *Clem. 2. h. t.* possunt libere compatroni inter se convenire et disponere de nominatione alternative facienda.

22. Permutatione etiam acquiritur jus patronatus 1º. quoties res inter se permutentur in quibus adnexum est jus patronatus dummodo nulla æstimatio incidat in jus patronatus, ne labes simoniaca contrahatur *c. 5. De rer. permut.* 2º. quoties absque intuitu rei alicujus unum jus patronatus cum alio jure patronatus permittatur. Hoc vero in 2. casu arg. *c. 5. De rer. permut.* requiritur Ordinarii consensus.

23. Venditione potest acquiri jus patronatus. At nemo dixerit jus patronatus sive personale sive reale posse vendi per se sumptum: nam Simonia esset. Ex *c. 16. h. t.* deprehendimus hanc alienationem esse irritam ipso jure. Ex Tridentino autem *c. 9. sess. 25. de Ref.* eruitur tum emptorem tum etiam venditorem amittere jus patronatus, et siquidem non alii sint patroni innocentes Ecclesiæ libera redditur. Insuper ex eodem loco Tridentini vendentes subjacent excommunicationi, et interdicto et pretium acceptum non sibi retinere nec emptori restituere possunt, sed in bonum Ecclesiæ illius, quæ passa est injuriam, erogare debent.

24. Quomodo ergo per venditionem potest alienari, et vicissim acquiri jus patronatus? Ex *c. 7. h. t.* scimus jus patronatus reale per translationem rei in alium transire. At in pretio rei præfiniendo fieri nequit computatio juris patronatus, ne jus spirituale pretio comparetur.

25. Venditioni rei æquiparatur datio aut alia proprie dicta alienatio. Immo DD. tenent in emphyteutam, et feudatarium jus patronatus transire cum universitate bonorum vel prædio particulari quoties jus patronatus inseparabiliter conjunctum est cum universitate rerum, vel prædio illo quod conceditur in feudum vel emphyteusim.

26. Quibusnam possit competere jus patronatus.

Ut quæstio resolvatur duo elementa juris patronatus consideranda sunt. 1º. Illud institutum esse in signum grati animi Ecclesiæ erga fundatores, constructores et dotem constituentes Ecclesiarum, vel Beneficiorum. 2º. Quamvis consideretur ceu proprie dictum jus spirituale præsentandi clericum *c. 16. h. t.* tamen actum

præsentationis non exhibere proprie dictam jurisdictionem, sed solum referre potestatem offerendi superiori Ecclesiastico efficaces preces quas nempe superior, si legitimæ fuerint, non potest despiciere; idest non potest clericum idoneum intra terminos juridicos præsentatum respuere. Ex 1<sup>a</sup>. consideratione sequitur competere jus patronatus non posse illis, quos non præsumitur gratos sibi Ecclesia experiri. Hinc Judæi, pagani, et infideles sunt incapaces juris patronatus personalis obtinendi. Ita DD. communiter.

27. Pariter hæretici de jure communi excluduntur a jure patronatus. Non enim merentur gratitudinem Ecclesiæ cui tamquam hostes adversantur. Ita Abbas *in c. 25. h. t.* et communiter DD. Excommunicati autem vitandi quoad usum juris patronatus repelluntur a jure. Cum enim censura sit pœna medicinalis quæ cessat cessante per reconciliationem contumacia, hinc ipsum jus patronatus non amittitur, sed solum suspenditur durante excommunicatione. Addunt vero auctores servandam esse institutionem præsentati ab excommunicato, si ejus nominationem acceptavit Ordinarius. Ratio est quia collatio tituli proprie ex institutione concessa a Superiore derivat. Ex 1<sup>a</sup>. et 2<sup>a</sup>. animadversione sequitur omnes prorsus fideles posse jus patronatus habere, sive clericos, sive laicos, sive masculos, sive fœminas, sive legitimos, sive illegitimos, sive puberes, sive impuberes. Nam cum ex una parte jurisdictionem non secumferat patronatus, et ex altera cum in genere loquantur canones de omnibus qui juris spiritualis ex concessione Ecclesiæ capaces sunt; ratio nulla est cur aliquis ex supradictis si gratitudinem Ecclesiæ promereatur privandus sit jure patronatus.

28. At pro infantibus vel furiosis præsentat pater tutor aut curator prout postulat diversa conditio. Pupillus minor, vel filius familias rationis compotes post septennium ætatis, si sint patroni præsentant absque auctoritate tutoris, curatoris, aut patris.

29. De juribus quæ competunt, vel non competunt patronis; nec non de oneribus relativis.

Sit primo loco sermo de iis quæ patrono prohibentur a jure. Patronus sive laicus sive Ecclesiasticus quacumque dignitate fulgeat non potest 1<sup>o</sup>. occupare bona, jura, fructus, et redditus Ecclesiæ seu beneficii etiam prætextu donationis suppositæ personæ. Quod si fecerit subjicitur anathemati quoadusque Ecclesiæ vel beneficiato omnia integre non restituerit, et absolutionem ab Apostolica Sede non fuerit assecutus; privatur insuper ipso facto jure patronatus.

Ita Trid. *sess. 22. de Ref. c. 11.* Unde patroni non possunt sese ingerere quacumque ex causa etiam prætextu consuetudinis cujusque in perceptione fructuum, proventuum et obventionum beneficii. Trid. *sess. 25. de Ref. c. 9.*

2<sup>o</sup>. Ex *c. 3. sess. 24. de Ref.* sese immiscere non potest visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricæ proventuum, nisi quatenus id eidem patrono competat ex institutione, ac fundatione scilicet ex lege fundationis beneficii.

3<sup>o</sup>. Poterit quidem patronus ab Ecclesia, vel beneficiato exigere pensionem modicam impositam in limine fundationis cum consensu Episcopi quæ pensio dicitur census antiquus, at etiam sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ non poterit censum novum imponere, neque hæc impositio sustinetur ex consensu qui forte præstitus fuit a rectore Ecclesiæ, vel possessore beneficii; nam uti nullius roboris contractus hujusmodi censetur *c. 23. h. t.*

4<sup>o</sup>. Relate ad personam clerici præsentati, et instituti in beneficio nullam habet patronus potestatem, et jurisdictionem. Hinc non potest clericum a beneficio remove *c. 4. h. t.*

30. Nunc ad partem positivam quæsit.

Competit patrono jus clericum præsentandi ad Ecclesiam vel beneficium vacans *c. 8. et 9. h. t.*, quod jus licet non importet veram collationem Ecclesiæ vel beneficii, tamen si clericus præsentatus sit idoneus non potest a superiore Ecclesiastico rejici, aut alteri non præsentato posthaberi, ita ut collatio aliter facta ab Ordinario collatore, sprete nominatione patroni nulla sit, aut saltem irritanda ad querelam patroni *c. 14. h. t. et can. 32. c. 16. q. 7.* Excipitur Ecclesia conventualis sive sæcularis, sive regularis in qua est eligendus prælatus. Nam in hisce Ecclesiis prælatus eligitur a capitulo: facta autem electio honestatis et gratitudinis causa patrono communicatur, non ut eam confirmet aut infirmet sed ut, si velit, coram Ordinario, a quo danda est confirmatio, possit electionem ex justis causis oppugnare. Ita DD. *in c. 25. h. t. arg. ejusd. c. et arg. c. 14. De Elect. circa finem.*

31. Circa præsentationem plures institui possunt quæstiones. Et 1<sup>o</sup>. quidem animadvertendum est præsentationem fieri legitime ab eo, qui est in possessione juris nominandi ita ut si postea lis moveatur, et possessor juris in causa deficiat ejus adversarius in futurum nominet: at non poterit irritare nominationem iam factam ante litem *c. 19. h. t.* Hinc jus nominandi a DD. consi-